

❖ ENARRATIO ❖

TRIVM LOCORVM EX

capite secundo. Deuteronomij in ca-
thedræ sanctarum scriptura-
rum petitione.

❖ R E V E R E N D O P A T R I
FRATRI MICHAELI ME-
dinae sacre theologiae magistro assi-
gnatorum, & in publico
Complutensi theatro ex-
planatorum.

*
❖ Ex approbatione & priuilegio suppremi Magi- ❖
stratus Regij, iuxta Pragmaticam sanctionem
Anni. 1558.

COMPLVTI.

Ex officina Ioannis Brocarij.

Anno. M. D. Lx.

AD ILLUSTRISSIMAM
 Dominam Franciscam Cerdam Cordouam Al-
 phonsi Cuniga Sotomaioris Gibraleonensis,
 & Bellarcensis Principis Viduam.

Frater Michael Medina.

S.



OSTVLASTI (immo
 pro tuo in me meaꝫ; studia
 iure imperasti) Princeps Il-
 lustrissima, vt eam lectionē
 quam in publico Complu-
 tēsi theatro: in cathedrę san-
 ctarum scripturarum petitione hisce diebus
 habueram, ad te darem. Ecce quo tuo & quo-
 rumdam aliorum desiderio satisfaciam typis
 excussam habes. Neꝫ; enim mihi fas est, tibi
 quicꝫ; denegare, cui omnia mea studia acce-
 pta non referre fuisset ingratiſſimum. Tuum
 est vnius noctis elucubratiunculā, & eam pro
 corporis & animi lassitudine, q̄bus illis diebus
 in acquirendis scolasticis gradibus penē fuerā
 atritus, tum vltuariam boni cōsulere. Nam tua
 stemata, illustris animus, ingens liberalitas, li-
 terarū pericia, nō fœminea sed plane virilis pru-
 dentia, aliās sunt nobis decātanda. Vale. Com-
 pluti, vndecimo Calendas maias. Anno. 1560.

ENARRATIO

TRIVM LOCORVM EX

capite secundo. Deuteronomij in ca-
thedrae sanctarum scriptura-
rum petitione.

REVERENDO PATRI
FRATRI MICHAELI ME

dinae sacre theologiae magistro assi-
gnatorum, & in publico
Complutensi theatro ex-
planatorum.



LECTIO heri mihi assignata
à permagnifico Domino Recto-
re & dignissimis consiliarijs, sita
est apud secundū Deuteronomij
caput, locum profecto suapte na-
tura in facūdum & in quem pau-
cissima sint commentaria, cum tamen candidatis no-
stris felicissimi loci cōtigerint. Sed temeraria sortis for-
tuna industria & diuina munificencia superāda est.

¶ Possemus hic tā de huius libri autore, quā de eius
usu & sine multa praefari, nec enim de his, omnibus cō-
uenit: quemadmodum & quosdam audio fecisse, quod
forsam legitimū tempus implerent: possemus & pa-
raphrasem agere, aut contionatorie vicia dehortari,

